



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Perfectionibus Moribusque Divinis Libri XIV

Lessius, Leonardus

Antverpiae, 1620

Cap. IV. Recollectio precatoria de Omnipotentia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46817](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46817)

CAPVT IV.

Recollectio precatória, de Omnipotentia.

15 **O** Adorandam, tremendam, & religioso silentio venerandam omnipotentiam tuam, Domine Rex sæculorum, qui omnia per te potes, quidquid possunt omnes creaturæ tuæ; à quo omnis potentia, omnis vis, omnis energia rerum omnium est instituta & dependens, qui omnia ex nihilo solo verbo condidisti, & condita eodem substantifico influxu conseruas, ex omnipotentia tuæ manu ea veluti suspensa tenens, ne in suum nihilum relabantur; coram quo totus mundus est instar pilæ modicæ, & omnes Gentes instar stillæ roris antelucani. Qui reipsa potes efficere & præstare, non solum quidquid omnes homines & Angeli animo concipere, sed etiam quidquid sapientia tua infinita potest excogitare: par enim est potentia tua sapientia tuæ, & æquè latè se extendunt & diffundunt; cum hæc sola sit illius regula & mensura. quam enim aliam habeat mensuram potestas immensa, nisi immensam? hæc non minùs ea tenes & possides quæ non sunt actu in esse producta, quàm quæ esse & speciem exterius acceperunt. Delitescunt enim in thesauris potentia & sapientia tuæ, & ad minimum nutù tuum in esse foras prosiliunt, & dicunt, Adsumus ad obsequiù tuum. Non indiges laudibus & obsequiis nostris: si enim velis, infiniti tibi mox suppetent famuli, qui incomparabiliter te melius colant, & omni laude celebrent.

Ad Heb. 1, 3

Isa. 40, 12.

Sap. 11, 23.

Lucæ 1, 37.

Baruch 3, 34

16 Inere animo meo profundissimam reuerentiã & humilitatem in consideratione tantæ potentia tuæ: tu enim de me & de omni creatura tua potes disponere & statuere pro arbitrio tuo; nec quisquam tibi potest dicere, Cur sic facis? tua enim sunt omnia, & opera manuum tuarum. Semper te mihi præsentem cogitem, & extenta manu omnipotentia tuæ, eternæ damnationis fulmen minitantem, si sanctissima Leges tuas violauero. Ad te etiã fiduciam & securitatem cordi meo in te, vt neminem timeam præter te, nec vlla creatura me à charitate tua abstrahere valeat. Quid enim sunt cetera omnia coram te, aut quid mihi absque tuo nutu possunt nocere? Quòd si ab aliquo me affligi permiseris, hoc ipsum mihi in salutem vertas, & ad æternam vitam cooperari facias. Amen.